DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA DE
DIABETE:

QUAM
DIVINO FAVENTE NUMINE,
AUTHORITATE ET CONSENSU
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI CELEBERRIMÆ ARGENTORATENSIS UNIVERSITATIS
MEDICORUM COLLEGII,
PRO
SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS ACQUIRENDIS
Publico & Solenni Examini submittit.

DAVID ECKOLT/
LINDAVIENSIS.

Ad Diem 14 Mens. Martij.



ARGENTORATI
Typis EBERHARDI WELPERI.

ANNO M. DC. LXIII.

VIRIS

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Prudentissimis

LIBERÆ ET INCLUTÆ

SACR. ROMAN. JMPERII REIPUBLICAE

LINDAVIENSIS

DNN. CONSULIBUS ET CONSILII SECRETIORIS ASSESSORIBUS,

PATRIÆ PATRIBUS,

Dnn. Patronis, Promotoribus, Fautoribus humilimè colendis,

UT ET

VIRIS

Nobilissimis, Consultissimis, Excellentissimis, Spectatissimo,

DN. DAVIDI THOMANNO, U. J. D. Reipubl. Augustanæ Advocato Magnifico.

DN. AMADEO Eckolt/ U. J. D. & in Academia Lipsiensi Professori Celeberrimo.

DN. JOACHIMO Eckolt/ Civi Lipsiensi Primario,

Dnn. Cognatis, Fautoribusque honoratissimis

Disputationem hanc Inauguralem

D. D. C.

David Eckolt/ Lindaviensis.

I. N. D. N. J.

PRÆLOQVIUM.

QVot, quibusq; Homo, quem Mundi hujus Epitomen, naturæq; delicias Plinius: θαῦμα θαυμάτων, *Miraculum Miraculorum* Plato: Aristoteles, *animal Politicum ad societatem natum*: Omnes *verò unanimi consensu* μικρόκοσμον *parvum appellare consueverunt Mundum; & quibus aliis præclaris, ne dicam, divinis Encomiis donatus est, infestetur Affectibus atq; Morbis, satis superque ni totus fallor, docet optima fidissimaq; rerum omnium Magistra, Experientia. Supervacaneum igitur, inutileque planè esse existimo, omnium qui accidere solent Affectuum hîc aliquam facere mentionem. Quos* Cerebrum, *divinissimum à* Platone *appellatum membrum, ubi & sacram Palladis Arcem Poëtæ esse dicunt, patiatur Affectus, & quam grăvibus subditum sit symptomatibus, clariùs ipsa meridianâ luce esse arbitror.* Thorax *itidem partium vitalium nostrarum sedes atque domicilium, quibus corripiatur malis, narrationem, si enumerare constituerem, longam sanè requireret. Neque levioribus aut contemnendis* Infimum *Medicis dictum vexari* Ventrem, *testatur Experientia. Probant etenim Ventriculi, Intestinorum, Hepatis, Lienis, Renum, aliarumq; interiorum partium Affectus, & inter alios* Diabetes *non infimum obtinens locum. Qui, etsi*

rarissimus sit, & à Galeno, *ipsomet testante*, lib. 6. loc. aff. c. 3. & lib. de diff. sympt. c. 12. *bis sibi tantùm visus*; *si quoque* Joh. Baptist. Theodos. Epist. 48. *se in toto vitæ suæ tempore veram* Diabeticam affectionem *vidisse tantùm in duabus mulieribus, affirmet*; *placuit tamen de illa, quantum ingenij tenuitas permittit, impræsentiarum breviter agere, eamque loco disputationis Inauguralis non prolixis Thesibus delineare.*

Deum Ter Optimum Maximum *suppliciter venerans atque obtestans, ut gratia Spiritus sui Sancti adesse velit, telamque, quam pro modulo ingenij texere conor, fortunare clementissimè dignetur.*

Thesis I.

PRiusquam propositi nostri Affectus quem breviter tractare animo constituimus, Definitionem & quid sit, quas Causas agnoscat, & quæ ejus Signa sint tàm Diagnostica, quàm Prognostica, quâ etiam ratione Curatio tandem sit instituenda, aggrediamur exponere, ὁμωνυμίαν Vocabuli τȣ̃ διαβήτȣ, cum non unam, sed diversas significationes ejus passim occurrant explicaturi sumus.

II.

Primò enim, uti *Aristophanes* interpretatur, Circinum, instrumentum scilicet figuram Lambdę habens, quô aliquid circinatur, seu ad circinum, orbemque fabricatur, aut rotundatur, significare videmus.

Secundò, Perpendiculum seu libellam fabrilem denotat; uti videre est apud *Plutarchum in Præcept. Politic.*

Tertiò, sumitur pro Siphone, Canali, Tubo sive fistula in fontibus, quâ aqua vel alius aliquis liquor emittitur,

tur, quemadmodum teſtatum faciunt *Columella l.3. c.10. Gal. de loc. aff. lib. 6. & Paulus AEgineta lib.3.c.45.*

Quartò, accipitur idem vocabulum Diabetes, pro omni copioſæ urinæ profluvio, à quâcunque etiam re ſuam traxerit originem.

Quintò & ultimo loco, pro Renum affectione, maximam ſitim inducente, celerique eorum quæ bibimus tranſitu; ſeu, pro urinæ in tanta copia excretione, quæ rei humidæ aſſumptæ & mutatione ſui planè carentis, quantitatem longè ſuperat: uti teſtantur *Gal. 6. de loc. aff. c. 3. & de Criſib. c.12. Alex. Trall. l. 9. c. 8. Aëtius tetrabibl. 3. ſerm. 3. c. 2. Amatus Luſitanus Centur. 2. curat. 94. Trincavellius l. 10. cap. 11. de rat. cur. part. hum. corpor. aff.* Quanquam *Dodon. Obſervat. c.42. in Schol.* inquiens; Potus qui aſſumitur non omninò talis redditur, qualis fuit aſſumptus hoc videtur negare; & contra mutationem nonnullam in hepate accipere, affirmare conatur. Idem quoq; *Ioh. Baptiſt. Sylvaticus Controv. 29.* In Diabete potum non ſemper ſtatim crudum, ſæpè etiam mutatum, perpetuò tamen auctum, & in majore quantitate, reddi docet; ſcribitque; interdum potus quantitatem eſſe uncias 25. Urinam autem emitti ad unicas centum.

III.

Sepoſitis prioribus omnibus ſignificationibus, ultimam hîc uſitatiſſimamque Medicis τῦ διαβήτυ ſignificationem retinebimus; & nunc, quibus alijs paſſim ab Authoribus inſigniatur nominibus, breviter indicabimus.

IV.

Quidam hunc Affectum ὕδερον εἰς ἀμίδα hydropem ad matulam, propterea, quod ſtatim à potu ſumpto urinam

nam aquoſam & tenuem ægri profundant, vocari volunt. *Gal. lib. 6. de loc. mal. affect. c. 3. & lib. de diff. ſympt.*

V.

Multis, ob magnam Urinæ copiam διάῤῥοιαν εἰς οὖρα urinæ profluvium, eò quod potus celeriter perfluat, nominare placuit. *Gal. 1. περὶ κρίσεως cap. 12.*

VI.

Nominare *alij* hanc Affectionem Diabeticam non erubuere διψακὸν, ἀπὸ τῆς δίψης, à ſiti inexplebili, quâ laborantes valdè vehementerque torquentur.

VII.

Aretæus lib. 2. cap. 2. de ſig. & cauſ. diut. morb. σαρκῶν καὶ μελέων εἰς οὖρον σύντηξιν carnium & membrorum in urinam colliquationem, appellandam eſſe arbitratùs eſt: ob quam & ſumma totius corporis macies hominem invadit, & copioſior multò urina redditur quā potus eſt, qui ſumitur. Cujus rei notabilem hiſtoriam *Marcus Gattinaria in 9. Rhaſ. c. de Cura involuntarij exitus Vrinæ; & Cardanus l. 8. c. 44. de rerum varietat.* de quadam puella 18. annorum referunt, quæ paſſa eſt ſuperfluum urinæ profluvium, adeò, ut ſingulis diebus urinæ libras circiter 36. emingeret, cum ex potu & cibo non plus ſeptem libris aſſumeret. Cum hoc 60. diebus perſeveraret, emiſit ultra cibi & potus quantitatem libras 1740. quod pondus longè excedebat pondus puellæ.

IIX.

Alij & Diarrhœam nephriticam appellare amant. *Latinis* Proprium & peculiare nomen non tàm attribuere quàm Græcum retinere placuit. *Germani*,

Das

Das groß vnd schnelle durchlauffende Harnen/ appellare consueverunt.

IX.

Nos cum plerisque & probatioribus Medicis commune retinebimus nomen τῦ διαβήτυ Diabetis, quod à verbo διαβαίνω trajicio, pertranseo & traduco, originem trahit; eò quod urina crebrò & abundanter per vasa ductusque urinarios, ureteres dictos, transit, ut aqua per siphonem.

X.

Non immeritò (ut, antequam ad rei Definitionem accedamus, aliquo modo similitudinibus declaremus) *Galenus lib. 6. loc. affect. cap.* 3. Lienteriæ Diabeten similem esse judicavit. Nam, quemadmodum teste *Gal. Comment. 6. aphor.* 1. Lienteria velox est exitus eorum, quæ comeduntur ac bibuntur, ita ut talia, qualia assumpta fuerunt, seorsim aut cæteris permista excrementis exeant; vel, ut aliâs describitur: Privatio coctionis, cum esculentorum nulla facta est mutatio in colore, odore, consistentia, aut qualitate alia: sic in Diabete immodicum urinæ profluvium est, quó ob sitim inexplebilem supra modum bibitur, omnisque potus nihil planè mutatus, mox iterum effluit.

XI.

Similis quoque est, & proportione quadam respondet cupiditati caninæ; κυνώδης ὄρεξις dictæ. Ut enim in appetentia canina insatiabilis & immoderata comedendi cupiditas sese offert, plurimùmque manducatur, per vomitum verò atq; alvum rejicitur; ita in Diabete potum avidè magnóque cum desiderio, Renes, antequam etiam in Ventriculo concoquatur, attrahunt, ob im-

ob imbecillitatem autem eum non retinent, ſed talem iterum effundunt, qualis fuerat aſſumptus.

XII.

Hiſce omnibus præmiſſis, expoſitaque nominis notione, jam ad propoſiti noſtri Affectus Definitionem recto progrediemur tramite, & quid ſit, & quomodo ab alijs Authoribus definiatur, paucis oſtendemus.

XIII.

Alexander Trallianus lib. 8. cap. 8. hunc in modum definit: ὁ διαβήτης καλούμενός ἐστιν, ὅταν ἀμετρότερον ἐκκρίνεται τὸ οὖρον, πολλάκις ἅμα τῷ πίνειν: Diabetes is appellatur, quando urina immoderatius excernitur, frequenter ſimul atque potus aſſumitur.

XIV.

Paulus Aegineta libr. 3. cap. 45. ὁ διαβήτης ταχεῖα τῶν πινομένων ἐστὶ διέξοδος οὐρομένων τοιούτων οἷάπερ ἐπόθη: Diabetes eſt eorum quæ bibuntur velox tranſitus, quum talis redditur urina, qualis fuit potio.

XV.

Oribaſij verba *libr. 9. ſynopſ. cap. 35.* de Diabete ex *Gal.* hæc ſunt: Qui hoc morbo tenentur, ſiti enecantur, & idcircò largè bibunt, idque quod biberunt, tale reddunt, quale fuit ab illis potum.

XVI.

Elegantiſſimus *Fernelius lib. 6. παθ. cap. 13.* per immoderatum urinæ profluvium quo aſſumpta potio nihil mutata profunditur, definit.

XVII.

XVII.

Nos, Diabeten propriè dictum, dicimus *cum Nobilißimo Experientiß. Venerandoque sene Dn. D. Melchiore Sebizio, Patrono ac Præceptore nostro æternùm observando, ex Manuali seu spec. pract. part. IV. s. IV. cap. IX. pag.* 1353. immodicum esse urinæ profluvium, quô ob sitim inexpletam supra modum bibitur, omnisque potus nihil ferè mutatus mox effluit, accedente tandem colliquatione corporis, viriumque debilitate. *Vel*; Diabetes est immensa crudioris urinæ perfusio, ex renum, per calidam & siccam eorum intemperiem, biliososque & salsos substantiæ eorundem impactos humores, intensâ facultate oriunda, cum siti valida & inexplebili, cumque Retentricis facultatis, copiâ seri gravatæ, debilitate, nec non frustratione Alteratricis, & totius corporis subitâ colliquatione.

XIIX.

Positâ hâc *Definitione*, breviter etiam quænam pars præcipuè sit affecta; & ad quod Morbi genus referendus hic sit affectus, sumus indicaturi.

XIX.

De *parte Affecta* varij iterum sese inter Authores præbent dissensus. *Quidam* pro vesica; *quidam* pro meatibus urinariis pugnare videntur; *quidam* alias hîc affectas esse partes agnoscunt.

XX.

Renes hic primariò *affectos* esse *quidam* pro certo habent, quibus & *nos* cum *Galeno* assentimur, qui *l. 6. de loc. aff. c.* 3. asserit, quamvis copiosum lotium possit conspici non modò in Diabete, sed etiam aliis in affectibus; in Diabete tamen necessariò vitium esse secun-

dùm Renes. Quanquam neq; hoc in totum negare constituimus, quod non etiam aliæ aliquæ partes, præsertim supra nominatæ, ureteres scil. ductus urinarij & vesica, aliæq;, coafficiantur.

XXI.

Cognitâ *parte Affecta*, non immeritò de hoc, ad quodnam scil. morbi genus Diabetes referri queat, solliciti erimus.

XXII.

Cùmque tria sint præcipuè Morborum genera, quorum unumquodque corpus nostrum afficere, ideóque affectus præter naturam dici potest, certa propriaque nota, quâ hic à reliquis dignoscatur Affectibus, nobis est inquirenda. Statuimus itaq; hanc veram propriamquè notam, Excretionem præternaturalem, mictionem plurimam scil. potus non mutati. Symptoma igitur tertij generis esse constanter affirmare conamur.

XXIII.

Verùm, quam modò posuimus mictionem plurimam, nequaquam intelligi volumus de ea, quæ & senibus & pueris utplurimum evenire solet; his propter nervos laxiores & molliores; illis verò ficciores; utrisq; propter infirmitatē musculi vesicam claudentis, sphincteris scil. unde stragulas sæpius permingere solent, urinasque diu retinere nequeunt. Neque de ea, quæ ab alimento & potu copiosiore aut colliquatione renum aut dissolutione totius corporis fit; *Iis enim*, inquit, *Fernel. l. 6. παθ. c. 13. quibus venter aut corporis habitus aquosi humoris copia tumet, interdum magno impetu urina, quàm potus, longè copiosior, emanat.* Quod & exemplo illustrat, inquiens; *Quomodo obesum quendam & tumidulum vidi, ex*

multa

multa mictione diebus circiter octo, mirum in modum extenuari & concidere. Tali quoque modo largior vini tenuis potus, aliaque diuretica, multas efficere urinas, idem *Fernelius* probat loco citato. *Qui enim largißimè bibunt*, inquit; *copiosam quoque profundunt urinam, ut is, quem novimus, quotidie horæ spatio tepentis aquæ medicatæ libras sexdecim exsorbere, etenim qualem sumpserat, talem protinus emejebat.* Conf. *Ioh. Schenck. Observ. Medic. l.*3 *de Diabete.* De neutra inquam, istarum mictionum intelligi volumus, sed de ea, quæ ex vitiosis humoribus substantiæ renum imbibitis, aliâve causa, tàm internâ, quàm externâ, nascitur.

XXIV.

Quæ porrò rarissimi, gravissimi, lethalis, incurabilisque ferè nostri Affectus sit causa, iterum discrepantes Authorum sunt sententiæ; quæ rem simul non parum intricatam & difficilem faciunt: ut verissimum sit, quod *Clariss. Dn. D. Sennertus* scripsit; causam, inquiens, Diabetæ reddere omninò difficile est, ob Affectus raritatem & Medicorum de ejus causa dissensum, *lib. III. part. VII. f.* 2. *c.* 11. *quæst.* 2. *suæ Praxeos*: cum paulo ante significantius etiam scripsisset; causam hujus affectionis reddere, difficillimum, & pauci Authores inveniuntur, qui in eâ reddenda inter se conveniunt.

XXV.

Doctissimus namque *Hieronym. Capivacc. lib.* 3. *prax. cap.* 27. Causam Efficientem Diabeticæ Affectionis Facultatem Retentricem læsam esse judicat. Cui quoque *Clariß. Dn. D. Sennert. loco suprà citato*, suffragari videtur. *Alij* præter renum calidiorem intemperiem, Jecoris caliditatem atque ventriculi retentionem læsam;

Ioh. Baptist. Sylvatic. controvers. 31. *Alij* aliam. Elegantissimus autem *Fernelius lib.* 6. *παθ. c.* 13. Causam esse dicit, calorem renum ingentem, qui vim tractricem seri vehementer impellat, quod tamen præ retinendi imbecillitate continuò in vesicam prolabatur. Triplicem igitur statuere causam, ex hisce apparet verbis allegatis. *Primò* nimirum, renum intemperiem intensam, aut ejus loco humorem ardentissimum renibus impactum; *Secundò*, robur Attractricis renum facultatis; *Tertiò*, imbecillitatem Retentricis virtutis, quæ copiam istius seri attracti retinere nequit.

XXVI.

Si ordine progrediamur, *Causas* hujus Affectus in duas dividere possumus classes; in Internas scil. & Externas: Jllas rursus in mediatas sive remotas, & proximas sive immediatas; has in necessariò & non-necessariò nos alterantes.

XXVII.

Causam Internam, proximam & immediatam calidam renum intemperiem esse volumus, cujus operâ illi serum à venis copiosissimè trahunt, sed tantam ejus copiam retinere nequeuntes, ad vesicam statim transmittunt; venæ verò exhaustæ ab hepate eandē trahunt materiam; hepar ab intestinis & ventriculo; unde sitis continua exoritur, potusque ingens appetitus, qui simul atque assumptus est, à venis, jecore & renibus denuò abripitur, & copia sua expultricem irritans, ac retentricem gravans denuò ad vesicam deturbatur.

XXIIX.

Remotam verò esse dicimus humores renibus impactos, salsos, acres & biliosos, qui renes ad attractionem assiduè

assiduè provocant, & ob acrimoniam orificia vasorum abradere & recludere possunt.

XXIX.

Sub *externis causis necessariò nos alterantibus* comprehenduntur *res non-naturales* dictæ, quæ Diabeticam affectionem generare possunt; ut sunt: Aër calidus, putridæ & deleteriæ constitutionis particeps; cibi salsi & aromatizati; vina itidem aromatibus vim aperiendi, detergendique facultate præditis condita, meraca & generosa, equitationes & vectiones, vigiliæ enormes, somnus in calidiori strato diuturnior, partium lumbarium vehemens agitatio, nimius veneris usus, vacuationum statarum intermissiones, iracundia, mœror, luctus, aliaque animi pathemata.

XXX.

Placet hîc exempla duo in medium proferre: *Vnum*, ut, quid equitationes & vectiones nocere possint, pateat; *alterum*, ut, quos effectus perturbationes animi habeant, eò melius elucescat.

XXXI.

Iohann. Schenck. lib.3. Observat. Medicinal. de Diabete *pag.502. Edit. in fol.* ita scribit: *Mediolani vidi undecim Medicos perpetuo cursu urinæ morbo, vitam finiisse, quidam ardore, quidam fluxu, quidam retentione, quidam lapillo renum, inde coorto urinæ profluvio, interierunt: nam assidua equitatio per civitatem inæqualem, frequentesque ascensus & descensus hujus morbi causa erant.*

XXXII.

Idem Schenck. libr. cit. p. 500. inquit: *Fuit Nobilis & Abbatissa cujusdam Monasterij Muriani, quæ ex vehementibus animi perturbationibus afflicta, ob ingentes persecutiones,*

nes, quas passa erat, incidit in hunc morbum: affligebatur autem siti inextinguibili, neque etiam per potum levabatur: linguam enim statim etiam à potu aridißimam habebat; æstum ingentem in visceribus percipiebat, continenter febre detinebatur, inquieta plurimum erat, & tandem, cum jam, antequam Medico curandam se traderet, morbus plurimum invaluisset, & ipsa admodum esset emaciata, ex eo obijt.

XXXIII.

Externæ causæ non-necessario nos alterantes possunt esse omnia Medicamenta calida, aliorumque diureticorum, lithontripticorumq; frequentior usus. Venenum quod à Dipsade funditur *Aretæus lib. 2. cap. 2. de sig. & caus. morb. diut.* Balneum aquæ dulcis; vehementia corporis exercitia; aliaq; quæ hic recensere instituti nostri non est.

XXXIV.

Pergendum ad *Signa*, quæ vel *Diagnostica* sunt vel *Prognostica.*

XXXV.

Diagnostica veri & proprii Diabetis ex iis, quæ dicta sunt, satis elucescunt: quando sc. immodicum adest urinæ profluvium, sitis inextinguibilis, adeoq; pertinax, ut nulla satietas ex cujuscunq; liquoris exhibitione contingat, potus plurimus, urina tenuis, aquosa & cruda, ὑποςάσεως expers, viscerum interiorum ardor, (eò quod aquosa sanguinis humiditas, à quâ temperari debebat, à renibus attrahatur.) corporis contabescentia (dum ob ὄχημα τῆς τροφῆς subductum alimenti distributio cessat, unde necessariò universalis corporis tabes.) lumborum, coxarum, testiumque intumescentia cum gravitate conjuncta, oris quoque siccitas.

XXXVI.

Prognosin quod attinet, malum hoc plerumque incurabile & lethale est, imprimis, si non mox in principio cognoscatur, eique idoneis occurratur remediis: Hominem enim ad tabem celerrimè perducit, quia renes non solum humores venarum, sed etiam totius corporis ad se, ob immodicam eorum caliditatem trahunt: uti testantur historiæ, quas omnes addere locus non permittit.

XXXVII.

Duas tantum modò recensebimus. *Iohan. Schenck. Observ. Medic. l. 3. p.* 500. ex *Vido Vidio* refert: *Quod Octavianus Catastinius, cum à febre pestilenti fuisset liberatus, & ob recuperandas vires adhuc se domi contineret; in Diabetem inciderit violentissimum, qui ipsum quatuordecim dierum spatio penitus tabefecerit atque obripuerit.* Idem eodem loco alteram Historiam narrat ex *Dodonæo c.* 32. *Observ. Medic.* his verbis: *Honestus quidam civis urinæ detinebatur profluvio; subinde uno die amplius quam urinam* 40. *librarum reddebat. Bibebat non minus: ut qui propter assiduam urinæ profusionem, assidua quoque siti premeretur. Cum autem huic nulla prodessent remedia, & vix ulla sibi adhiberi pateretur, paucis diebus deficiens, è vita commigravit.*

XXXIIX.

Incurabilem esse ferê affectum Diabeten *Thesi XXXVI.* pronunciavimus. In juvenibus tamen admittere aliquam curationem probat *Cardanus l.* 8. *de Varietat. c.* 44. ex Historiâ *Thesi VII.* de puellâ Diabetica affectione laborante, in medium prolatâ. In senibus planè nullam omnes statuere videntur authores. Magnum Græciæ Oraculum *Hippocratem Aphoris.* 39. *sect.* 2. hoc quoque pro-

probat; magnam, inquiens, partem ſenes juvenibus minus ægrotant; quicunque verò morbi ijs accidunt diuturni, plerunque commoriuntur. Idem *Aphoriſm. 6. ſect. 6.* Renum & veſicæ vitia in ſenibus difficulter curantur. *Et lib. 6. Epid.* affirmat; ſe non vidiſſe vitia renum fuiſſe percurata, poſt quinquageſimum annum.

XXXIX.

Supereſt adhuc *Curatio,* ubi, ut in cauſis explicandis magna occurrit apud Authores diſſenſio, ita ſimiliter non exigua ſententiarum varietas atque difficultas ſeſe manifeſtat. Diverſimodè enim à diverſis Authoribus inſtituitur, quoniam in cauſa mali non omnes conſentire videntur.

XL.

Breviter *noſtram* hîc quoque, miſſis alijs, inſtituturi ſumus *Curationem*; eamque ex tribus his Fontibus, Diætetico, Pharmaceutico & Chirurgico commode inſtitui poſſe arbitramur.

XLI.

Eligatur itaque ex fonte *Diætetico I. Aër* ad frigidum & humidum declinans, quòd ſi talis haberi non poſſit, arte paretur. *II. Victus* ratio conſtet ex alimentis boni ſucci, & facilis digeſtionis, propter virium jacturam atque corporis tabem; mordacitate careant; aut qui mordacitatem & acrimoniam obtundere valent, ad frigidum tamen, ſecundnm *Aëtium,* nonnihil declinent: ut ſunt ova ſorbilia, oryza, poma, pyra; neque incommode exhibetur caſeus recens compactus, ſalis expers, caſtaneæ item teſte *Alexandro Trall.* Carnes porcinæ macræ, plurimum coctæ, pedes & capita vervecum, hœdorum & vitulorum caro aceto aut ſucco
mali

mali punici aut arantii aſperſa, Piſces ſaxatiles, intubus, lactuca, portulaca, ſymphytum, quamplurima alia. *Potus* in quantitate paucus, ne multiplicetur aquoſitas: vinum eligatur adſtringens, meracius, rufum, craſſum, aquâ amplius dilutum, ad ſalſuginoſorum humorum, qui ſitim inferunt, proluvionem; aut loco ejus bibatur aqua hordei, chalybeata cum ſyrupo acido aut adſtringenti, ſc. granator. ribium, berber. permixta. decoctum cornu cervi, &c. *III. Exercitium* & immodicus motus inhibeatur; quies contrâ uſurpetur. *IV. Somno* plus ultra conſuetudinem indulgeatur. *V. Alvi excrementa* naturæ aut artis beneficio expellantur. Immoderati denique & immodici *Animi affectus* evitentur.

XLII.

Ex fonte *Chirurgico* maximè commendatur Venæſectio, ſi in principio mali, viribus adhuc validis exiſtentibus, ſtatim & quidem parva quantitate & partitis vicibus inſtituatur. Virium enim non ſolum præſentium, ſed etiam futurarum habenda eſt ratio. In malo vero inveterato, cum vires jam dejectæ fuerint, non erit locus huic remedio.

XLIII.

Quantum ad *Pharmaciam*, ſententiæ *Excellentiſſimi Experientiſſimique Dn. D. Melch. Sebizij, Patroni & Præceptoris noſtri ſemper horandi*, ſubſcribere non veriti ſumus; Pharmaca vacuantia parum prodeſſe hâc in Affectione, quoniam ægri ſatis per ſe evacuentur, atque admodùm debilitentur: ſatiùs ergo eſſe illa miſſa facere, & Indicationibus morem gerere.

XLIV.

Adhiberi ergo commodè posse judicamus *Refrigerantia*, quatenus viscerum calor urget; *Constringentia*, cùm fluxus serosus per vasa urinaria permeat atque urget; quatenus viscera debilitata, *Roborantia*; quatenus urina acris & mordax, *Mitigantia* & *Contemperantia*.

XLV.

Sint igitur *Aquæ* Plantag. Rosar. rubr. Centinod. Bursæpastor. Hippurid. fol. Quercus, Tormentill. bistortæ, portul.

Syrup. Rosar. siccar. rubrarum, Plantag. Myrthin. myrthillor. Cydonior. portulac. Corallinus, Granatorum acidor. Ribium, Berb. de agresta, de Rubo idæo. &c. ex quibus *Iulepi* parari possunt.

Conservæ Rosarum rubrar. Acetosæ, acetosell. acetositat. citri, symphyti.

Condita: Berberes condit. Ribesia, mespila, Corna, Cynosbata, Cydonia, Cerasia condita.

Species: Diacorallij, diatrionsantalor. diarrhod. Abbat.

Trochisci de spodio, cum seminib. acetos. de terra sigillat. de bolo armen. de corallijs, de carobe.

Tabulæ ex succo Ribium, ex succo Berber. ex succo Citri.

Pulveres Corallor. rubror. santalor. rubror. succini præparati, boli Armen. lapid. hæmatit. præparati.

Decocta & Infusiones Radic. Tormentill. Bistort. Rosar. rubr. balaustior. Baccar. Myrthi, Nuc. Cupressi, semin. Sumach. sem. Acetos. semin. plantag. Arill. Granat. Myrobalanorum.

Olea.

Olea: Oleum Roſar. incomplet, myrthinum, cydoniorum, Plantag. Maſtichin.

Vnguentum Cydoniatum, Roſar. ungu. refrigerans Gal.

Ceratum ſantalinum emollitum cum aceto roſac. vel oleo roſat. omphacin. &c.

Singularia videantur apud Authores. Sufficiant nobis hæc, deſumpta ex Manuali ſive ſpeculo Medicinal. Practico *Dn. D. Melchioris Sebizÿ, Præceptoris & Patroni noſtri æternum Venerandi.*

XLVI.

Atque hæc ſunt, quæ de hoc Affectu in medium proferre voluimus. Plura qui deſiderant, Practicorum ſcripta evolvant. Deum T. O. M. devoto pectore precamur, ut tàm huic, quàm aliis noſtris laboribus imposterum clementer annuere velit, quo omnia vergant ad ſui divini nominis gloriam atque proximi ſalutem! Cui ſit Laus, Honor & Gloria in ſempiterna ſecula.



COROLLARIA.

I.

Debeatne Medicus uno eodemque tempore & venam ſecare & cacochymiam expurgare? Neg.

II.

Sitne à veneſectione, an à purgatione initium faciendum, ſi affectus utrumque remedium poſtulet? Prius placet.

III.

III.

Utrum gravidis Mulieribus venam ſecare liceat? Aff.

IV.

An Prægnantes purgare liceat? Diſt.

V.

An ſerum ſit nutrimentum Renum? Neg.

VI.

Utrum ex ſolius urinæ inſpectione certò dignoſci poſſit imprægnatio? Neg.

VII.

An ſanguis Menſtruus ſit malignus & venenatus? Neg.

VIII.

Sitne Menſtruus ſanguis fœtûs in utero alimentum? Aff.

IX.

An immedicabiles morbi à Medico ſuſcipiendi? Diſting.

X.

An perpetuò tutum ſit curare jucundè? Neg.

XI.

Poſſitne ſemper Medicus curare tutò? Neg.

XII.

Num à Medico neceſſariò requiratur, ut curet citò? Neg.

F I N I S.